B. N. C.
FIRENZE
1057
23

25

1057.33

1051. 23

XXVII. Fol.
GRAD

STEPHANI GRADII
PATRICII RAGVSINI
De laudibus
SERENISSIMÆ
REIPVBLICÆ VENETÆ
Et cladibus Patriæ ſuæ

CARMEN.

1057.23

Illuſtriſsimo, & Excellentiſsimo D. D.

BAPTISTÆ NANIO

Eq; ac D. Marci Procuratori

STEPHANVS GRADIVS FÆL.

DVdum eſt, Senator ampliſsime, quod in animo habeo donare te litterario aliquo munere, quo vetuſtæ meæ erga Domum tuam, ob inſignia eius profecta in me, maioreſque meos beneficia, obſeruantiæ monumentum, & pignus extaret. Incredibilis autem exequendi huius propoſiti ardor mihi nuper iniectus eſt, poſtquam, quæ de te ex ore famæ didiceram, coram agnoui, & prolixam erga me tuam beneuolentiam, atque humanitatem præſens expertus ſum. Nec mediocriter qua id potiſsimum ratione expedirem apud animum meum dubitaui. Ad manum erat promiſcuum in huiuſmodi deliberationibus conſilium laudandi te, nomenq; tuum, & res tuas

geſtas depromptis ex Helicone luminibus, exornandi. Sed (præter quam quod Viro eloquentiæ gloria per gentes claro, & nobilis hiſtoriæ ſcriptori, ad munera laudum fruenda alieni ſtyli præſidio opus non eſt) à modeſtia tua timebam, & altitudine animi, ſua ſatis luce conſpicui, & illud veteris Ariſtidis per omnes ſuas actiones præferentis προῖκα καὶ τῆς δόξης *gratis etiam à gloria. Quæ reputanti Pliniani ad Traianum Principem dicti veniebat in mentem, non minus prouidendum eſſe mihi quid aures tuæ ferre poſſint, quàm quid virtutibus debeatur. Nec enim pauca, aut mediocria erant quæ ſtylo occurrebant, ſi profeſſo conſilio hoc argumentum exequendum agrederer, & quàm copioſè oportet, exequi velim, diſtinctè & enucleatè recenſendo vt*

Ante annos animumque gerens curamque virilem.

editis pluribus in ampliſsimo ordine magnæ indolis experimentis (qui lectiſsimo cuique nobilium adoleſcentium mos eſt) ad gerendam foris Rempublicam gnauiter & ſtrenuè te contuliſſes, accepta Gallicæ legationis adminiſtratione, quæ te, nomenque tuum magnæ famæ primùm inſeruit, proſperiſque omnium gentium ſermonibus materia fuit, per quos egregium decus viri fortis, & rerum experientis, & callidi temporum, & planè ſapientis à ſummis pariter infimiſque tuliſti: Vt non contenta virtus tua ampliſsimo Galliarum theatro, altera legatione, Germaniæ ſpectandam, & admirandam ſeſe

præ-

præbuerit, ſuaſque in eo grauiſsimo munere partes obierit, cum Summa Cæſaris & Procerum illius aulæ approbatione, tuæque Patriæ fructu ac dignitate: Vt parem laudis, & gloriæ quæſtum in illo publico totius Europæ ad Pyrenæum conuentu feciſſes, vbi compoſitæ diuturnæ inter maximos Reges contentiones ad glorioſa de inhibendis vlterioribus thracum incrementis conſilia agitanda ſpatium, & otium reliquiſſe, quæque ad communem rei Chriſtianæ profectum, ac dignitatem moliendæ erant, monſtraſſe viſæ ſunt: Vt has tibi expeditiones non ſolùm cauſa, quæ palam erat, tuæ Ciuitatis ſuſcipiendas putaſſes, ſed etiam alio profundiore conſilio, animi ad capeſſendam domi mox Rempublicam inſtruendi, & præparandi; ſi curam, induſtriamque tuam ad cognoſcendos hominum mores, ad introſpicienda Principum ſtudia, ad expendendas nationum, & gentium opes, & quid vſquam ægrum, quid validum eſſet noſcendum adhibuiſſes: Vt hoc conſilium, conatuſque hos tuos feliciſsimus ſit exitus conſecutus, propter inexhauſtam maximarum rerum, quibus tum interfuiſti, tum præfuiſti memoriam, & ſingularem delectum ad accommodandam ſuis temporibus, negotijſque, & hominibus collectam vndique exemplorum omnis generis copiam, quibus, quaſi neceſſario humanæ prudentiæ inſtrumento, ad expedienda de Republica conſilia, ad dicendam in Senatu ſententiam, ad ordinandas le-

ges, ad magiſtratus gerendos, & exercenda imperia vterere: Vt ſecutum ſit tempus, quo poſt intermiſſam Cretæ poſſeſſionem, & corruptos malignitate fortunæ clariſſimarum in oriente Victoriarum fructus, dubijs, & ſuſpenſis compoſitæ vtcumque pacis legibus magnum inſtaret periculum, ne aut cum validiore æternùm pugnare, aut parta per virtutem turpiter effundere neceſſe eſset, quæreretur que quis potiſſimum ad nodos illos extricandos adhiberetur, & in colloquijs cum hoſte recens placato habendis barbaricam ferociam lenitate, & prudentia temperaret, Anxia Ciuitas & de ſumma Reipublicæ ſollicita ad te tanquam ſalutare aliquod ſidus reſpexit, ſuumque otium, ac dignitatem in illo grauiſſimo rerum momento tuæ fidei, tuæque ſapientiæ prouinciam eſſe voluit, cum ad fines in Dalmatia conſtituendos, & ſtatum illius Regni ordinandum legauit, nullis ſatis certis mandatis è re conſulturum. Nec verò grauiſſimi huius de tua virtute iudicij fructum non ampliſſimum tulit, cum confecto è ſententia negotio reducem è Dalmatia, & ſtabilitæ imperij propagationis auctorem, iuſtumque de Turcicorum purpuratorum faſtu, ac ſuperbia, quaſi triumphum agentem, læta, & votorum ſuorum compos, ſibique iam bona fide, ac ſuæ felicitati gratulabunda, & plaudens excepit. Nec ſolùm rebus tuis geſtis in hac Reipublicæ procuratione ſingularem prudentiæ, & conſilij laudem ſumma

om-

omnium ordinum conſenſione dedit, ſed etiam integritatis, & abſtinentiæ; quod intactum te ab ijs etiam ſordibus præſtitiſſes, quæ receptis peccandi vbique terrarum exemplis non iam vitia, ſed mores, & ſæculum appellantur: Vt his ac talibus gerendæ domi, foriſque Reipublicæ artibus opinionem tibi conſtantem viri boni, & recti tenacis, & publicæ felicitatis cupidi tibi paraſſes, eiuſque ope non minùs quàm eloquentiæ vi, qua plurimum inter tuos polles, ad perducendos ad tuam ſententiam, & ſequenda tua conſilia animos Patrum impellis, vt pleriſque vna tua auctoritas pro ratione ſit; quod perſuaſum habent non ita temerè falli te poſſe propter ſapientiam, nec omnino alios fallere velle propter fidem.

Sed me impetus quidam conceptæ erga te admirationis, quò minimè propoſitum erat, deduxit; quem inhibere conſilium eſt, & qua ratione per modeſtiam tuam licet hoc ipſum argumentum, quod aggreſſus ſum exequi pergere, laudando aliquid, quod tibi te ipſo, rebuſq; tuis, & rationibus omnibus charius & antiquius eſt, Sereniſsimã ſcilicet, cuius magna pars ipſe es, Patriam tuam, grande rerum humanarum decus, diuinorumque operum, quæ humana induſtria miniſterio perfecta ſunt, præſtantiſſimum, clariſsimumque, in qua laudanda multum ipſi laudi, & pretij, & claritudinis, & dignitatis accedit. & quando ad tam ſublime, tamque magni-

ſicum argumentum tractandum ab ingenio atque doctrina imparatum me intelligo; adiumenta ab exquiſita quadam induſtria, & quaſi machina petere in animo eſt, vt aſſumpto in auxilium vehementiore aliquo affectu, tenuem, & non minus ſua ſpontè, quàm ſenectutis vitio torpentem excitem venam, ac tanquam faces frigenti ingenio ſubijciam, quibus incaleſcat, & excitetur; Neque enim grauiſſimis Philoſophorum vſquequaq; aſſentior, qui nudam, & inermem rationem ad omnia, quæ opus homini ſunt, expedienda ſatis eſſe debere contendunt, & neque iraſci vnquam, neque timere quidquam, neque paulò vehementiùs cupere, & admirari ſapientis officio conueniens iudicant. Peripateticorum ratio magis mihi probatur, motus hos animorum, ſi moderati ſint, & quaſi gyro rationis incluſi, vtiliter mortalibus à natura datos putantium; ita vt iracundiam cotem Virtutis, vt timorem officij cuſtodem, vt cupiditatem aculeum ad induſtriam appellare non dubitent. Nec me mouet, quod interdum hac ipſa induſtria ad peſſima quæque patranda facinora homines abutuntur, quemadmodum abuſus eſſe dicitur Otho, cum ad ſubornandum animum ſuum audacia, & confidentia, quanta opus erat, in illo pleno temeritatis aduerſus Galbam Principem incepto, fingebat & metum, vt Tacitus auctor eſt, quò magis concupiſceret. Non inquam mouet, quid enim in humana vita tàm præclarum, tàm

tàm ſalubre, tam expetendum, cuius vſus anceps non ſit, & vnde promiſcuam bonis, maliſque artibus materiam haurire non liceat? ingenium, Vires, valetudo, forma dignitas, & cætera eiuſmodi, quæ prima mortales putant. Vtcumque autem in reliqua vita pronunciandum hac de re ſit; certè cum partus aliquis ingenij edendus eſt, imbecillæ, & enerues ſunt tranquilli, ſedati, & nullo commoti affectu animi Vires. De Sergio Galba memoriæ proditum reliquit Cicero, cum grauiorem aliquam cauſam agere vellet, antequam ad dicendum accederet, meditari ſolitum fuiſſe, animo de induſtria concitato, illiſque ipſis impulſo motibus, quos in orando adhibere propoſuiſſet, & ſine quibus frigida, & elumbis eius oratio erat futura. Atque hoc maximè carminum ſcriptoribus vſu venit, quibus vt in præclaro ſuo artificio exequendo cum dignitate verſentur, œſtro & impetu, & tantum non furore opus eſt; mente videlicet commota, & à ſemet auulſa, & quaſi numinis inſtinctu agitata, vnde verba & ſententiæ exiſtant vaticinij potius, quàm teſtimonij inſtar habentes, emineatque in tota dictione illud Horatianum.

Odi profanum vulgus, & arceo.

vt Rhetor ille Petronianus veriſsimè dixit, quod profectò non alia re magis quam horum, de quibus loquor, affectuum præſidio effici poteſt. Quis Poeta paulò clarior, cui non acriores, altioreſque ad car-

mina fundenda ſpiritus amor, & Venus, quàm Apollo, & Pierides ſubiecere?

Archilochum proprio rabies armauit iambo:

Illi alteri.

Quos natura negat facit indignatio verſus:

Egregium Flaccum

Paupertas impulit audax
Vt verſus faceret,

hoc eſt iuſtus metus famis, ſitis, algoris, cæterorumque incommodorum, quæ inopiæ comites eſſe ſolent: hoc ipſum ſine dubio in animo habuit qui dixit

Quis expediuit pſitaco ſuum χαῖρε.
Picaſque docuit noſtra verba conari?
Magiſter artis, ingenique largitor
Venter negatas artifex loqui voces.

Quam igitur aliјs amor, aut metus, aliјs odium aut ira, aliјs aliј animi motus, cum in enitendis carminum fœtibus verſarentur opem tulere, ego à dolore & miſericordia mihi petendam eſſe duxi, ita ordinata hac mea ſcriptione; vt cum laudibus tuorum Ciuium acceptas à Patria mea ob motum terræ, atque incendium clades coniungerem, ac permiſſa paſsim Poetis libertate Ciues meos loquentes, & conuenientе præſenti ſuæ fortunæ oratione ad vos vtentes inducerem; hoc eſt plena incenſi erga nobiliſſimam veſtram gentem ſtudiј, & prædicationis, & laudum, in quas mulctati à fortuna & ſupplices, & opem poſcentes ipſa duce natura effuſi eſſe ſolent ad

ſibi

ſibi conciliandos eorum, quos alloquuntur animos. Cæterum quemadmodum in hac argumenti parte non is fuit, vt vides, venæ meæ ſucceſſus, vt veritatis mihi propoſitæ dignitatem ne à longè quidem attingerem; ita in altera, quæ ad Ciues meos attinet, profuſior illa aliquantò, quàm res ipſa patitur fuit; vt legenti hæc tibi dubitare non immeritò ſubeat de eorum conſtantia, & robore animi in illa perferenda calamitate; cum tamen nihil illis fortius fuerit, nihil excelſius, ſummumque attigiſſe gloriæ verticem videri potuiſſent, quamuis id vnum præſtitiſſent, quod in tanta rerum omnium conuerſione de Republica non deſperarunt, nec præterea conſilio, prudentia, aſsiduitate adeò fortunæ ſæuienti obluctati ſint, vt alteri Patriæ ſuæ conditores iure ſint appellandi, ſummo gentium omnium Chriſtianarum digni præconio; quod virtute eorum factum eſt, ne omninò nihil eſſet toto Oriente reliqui populi, qui ritè & caſtè veri Dei numen liber, ac ſuæ ſpontis, ſuiſque obnoxius legibus adoraret. Sed ego morem pictorum, quibus gemina cum poetis eſt in ſuis edendis operibus induſtria, ſecutus ſum. Hominum illi figuras, artuſque eorum, & lacertos non vt plerumque ſunt, tenues & exiles, ſed vt rarò contingit proceritate, & pulchritudine inſignes in ſuas tabulas inducunt, eaque rè exquiſitis artificij ſui legibus parere ſe exiſtimant. Non aliter à me factum eſt, cum inuſitatæ cladis imaginem ſtylo

meo adumbrare conatus, reſpexi ad id, quod in genere cladis abſolutiſsimum eſt, non admodum ſupra rei geſtæ fidem (tanta eius atrocitas fuit) ſublato carmine. Porrò ad ſuſceptæ quaſi fabulæ modum habitum animi in ijs, qui cladem paſsi ſunt, accommodaui, rigidæ veritatis, more poetarum, ſecurus; eiuſque præſcripta, & leges hiſtoricis, teſtibus, iudicibus obſeruandas relinquens. Quod ſi veram ſpeciem animorum, quos in hac clade Ciues mei geſſere, tradere libuiſſet, non dubito Vir ſumme quin ad fauendum precibus, quæ hic à me non tam obtinendi gratia, quàm vt argumento ſeruirem inducuntur, non minus virtutis eorum merito, quàm calamitatum commendatione non mediocriter commouerere. Nec vt aliter faceres, imperare tibi, tuaque humanitati poſſes, & generoſo erga fortes Viros animi ſtudio. Quam tibi ego laudem vna cum cæteris omnibus egregijs artibus, quorum cultu humana felicitas vnice conſtat propriam, & perpetuam precor.

CARMEN

ILiaci Proceres, celſis quos claſſibus olim
Portantes Victos patria ex ardente penates
Vexit ad Euganeũ melior fortuna Timauũ,
Et geminam iuſſit Romanis arcibus Vrbem
Condere, & æternum Phrygiæ ſupereſſe fauillæ:
Imperio pelagi gens inclyta, cui Pater vltrò
Adriacas ſua ſceptra dedit Neptunus in vndas,
Caſibus afflictæ diris ſuccurrite genti,
Et placidi veſtræ miſeras audite querelas
Supplicis, immanes ictus, indignaque paſſæ
Funera, & infanda dudum ſub clade gementis.
Qualibus horribili terræ conflata tremore
Tempeſtas noſtram fatis agitauerit Vrbem,
Nemo adeo ferus eſt, rerumque ignarus, & hoſpes
Attonitas cuius non fama aduenit ad aures,
Et lacrimis oculos non humectauit obortis.
Triſtia agebamus quartæ ſolemnia lucis
Ante diem ſacro quam claudit lumine Veſper *Feria*
Conſcius inſtructæ dapibus cæleſtibus olim *4 maioris hebdomada*
Supplicijque inter celebratæ exordia Cœnæ,
Supplicij, mortale genus, quo ſtirpis auitæ
Et noſtra luimus contracta piacula culpa.
Omnibus in templis ſupplex Chorus, omnibus aris

Al-

Alternis duræ memorabant cantibus acta
Hiſtoriæ, fama totum celebrata per orbem,
Vt ſata Diuino proles de Semine; poſtquam
Sedibus ætherium noſtris mutauit Olympum,
Ad turpes ignominias, ad verbera ſæua,
Ipſius ad mortis miro properarit amore
Excidia, & meritas alieno crimine pœnas,
Proditus, illuſus, damnatus, diraque paſſus
Vulnera, & infami ſublatus in aera ligno.
Terræ motus. Cum tremere horrendum tellus: conuulſa repente
Fundamenta quati, poſteſque, & ſumma labare
Culmina diſſiliunt eductæ ad ſidera moles
Tectorum, celſæque ſuis cum turribus arces,
Et delubra Deum populo diſtenta frequenti,
Præcipitique cadunt lapſu: ſternuntur eodem
Matres, atque Viri caſu, iuuenumque, ſenumque
Corpora: non ſummis vis parcit acerba, nec imis:
Stat fremitus, qualem dant rauca tonitrua cælo
Cum reboant, paſſimque atræ formidinis ora
Terribili occurrunt viſu: conſurgit in auras
Pulueris exciti vortex, perque æthera apertum
Voluitur, & noctem caligine fundit opaca.
Quis cladem illius, quis funera dira procellæ
Explicet & varium leti genus? ille cadentis
Immani perit infelix ſub pondere tecti:
Hunc pluuij perdunt lapides: hic concaua ſubter
Interualla recedentis, cameraſque ruinæ
Saxorum ingentem fruſtra molitus aceruum

Lenta animā, ante obitū tumulatūs, morte relinquit.
Non duro conſtent ſi pectora noſtra metallo,
Centeniſque ſonent totidem ora, & guttura linguis
Omnia multiplicis liceat diſcrimina fati
Atque omnis aditus mortis numerare, viaſque.
Nec melior turbæ fortuna ſuperſtitis, à qua
Fatale abſtinuit parcarum iniuria ferrum.
Inſperata ſalus grauis his, inuiſaque lux eſt:
Vrbem horrent, tædet patriæ lacrimabile buſtum
Vſurpare oculis: fugiunt in aperta, ruuntque
Conſilij, rerumque inopes: pars iuſta peroſi
Tecta ſub anguſtis agitare mapalibus æuum
Inſtituunt, pars æratas conſcendere puppes,
Neptunumque ſequi; quatiat ſua viſcera tellus
Nunc licet, & moto diuerberet aera dorſo:
Nil noſtra: hinc tutis ſalientes cernere campos
Continget, refluoſque amnes, monteſque caducos.
Linquere pollutas alijs tot cædibus oras,
Atque alio patriam ſibi quærere ſole calentem,
Diuerſaſque ſequi certa eſt ſententia terras.
Quos inter pietate, & Virginitatis honore
Chara Deo manus ante alias, acceptaque cælo
Horreſcunt ſponſæ ſuperum ſua templa puellæ,
Euerſaſque aras, & inexorata relinquunt
Numina: Stat vitam tumido committere ponto,
Et petere incertas alieno in littore ſedes.
Quo ruitis miſeræ ciues, tuque optime caſti
Agminis Antiſtes ductor quo tendis, & vnde
De-

Depoſito tam dura times diſcrimina charo,
Quàm quibus imprudens occurris? non adeo omnis
Conclamata ſalus rerum eſt, ſpeſq; omnis adempta
Fortunæ melioris; vt hæc Sanctiſſima ſit fas
Pignora ab euerſa quamuis diuellier Vrbe.
Præſtat in amplexu Patriæ, aſpectuque penatum
Quidquid ideſt quod adhuc cæli grauis ira minatur
Excipere: ipſam etiam ſi tanta eſt ſortis iniquæ
Sæuities, animam quocunque abſumere leto.
Talia dum laceri populique, patrumque fremebat
Pars melior, ſuſcepto illæ non ſecius inſtant
Propoſito: ſcandunt claſſem, & fugientia tendunt
Cum duce vela ſuo. Sed quamquam inuita recepit
Tethys, & aduerſæ profugas cælique, mariſque
Iactauere vices, morboſque, infandaque paſſæ
Funera, & eiectæ peregrinæ in littus arenæ
Spectaclum infelix patriæ inceſſere ſepultæ;
Felices: quod non incendia dira, nec atrum
Hauſerunt oculis cinerem, accenſoſque nefandis
Prædantum tedis Vrbem conſidere in ignes.
Nam poſtquam tremor horrificus conſedit, & alti
Pulueris attonito deceſſit ab æthere nimbus,
Reſtituitque diem: dum curſant exanimes, quos
Turbinis exacti rabies non abſtulit, & ſe
Aggeribus lapidum expediunt, aliaſque ruinas,
Atque alios cæca reputant formidine caſus,
Dumque vni ſibi quiſq; timet, commune nec vllum
Conſilium eſt, nec nutantes cuſtodia muros

Vlla

Vlla tenet, portæque patent; irrupit auara
Prædonum ingluuies, quos proxima barbara tellus, *Direptio.*
Indigenæque ſimul vomuit fex vltima vulgi,
Paſtorum manus omnis, inexhauſtique laborum
Agricolæ, & pandas habitat quæ turba carinas,
Per vacuàs Dominis ædes, ad apertaq ie tecta
Funduntur: penetrant arcas, aurumque repoſtum,
Argentique decus priſcum, pretioſaque Veſtis
Diripitur, dapibuſque, & menſis haud ſibi ſtructis
Iniuſſi accumbunt conuiuæ: pocula læta
Communi in luctu libant, epulaſque procaces
Ignibus expediunt temerè ſuper arida iactis
Robora, nec iactas cura eſt reſtinguere tedas.
Sunt etiam quos ipſa iuuant incendia, ne quis
Pœnarum exactor, ſcelerumque exiſteret vltor,
Manſiſſet veteri ſi quiquam è ſede ſuperſtes.
Quo nihil euerſæ quicquam funeſtius Vrbi
Nil magis iratis potuit contingere diuis;
Parua etenim primo, penituſque occluſa per amplas *Incendium.*
Serpere flamma trabes, fumoſque excire volucres
Arentemque intus comprehendere fomite opaco
Materiem: mox ſe paulatim tollere in auras
Sublimem, & cælo radios extendere aperto.
Nec fortaſſe opibus malum ineluctabile noſtris
Illud erat; ſi non vrgentibus vltima fatis
Surrexiſſet ab arctoo vis plurima mundo
Ventorum, vaſtis quos expedit Æolus antris
Nimborum celeres, tempeſtatumque miniſtros,
Ster-

Sternere agris ſegetes, excindere montibus ornos
Cum parat, & fundo maris æquora vertere ab imo.
Qualis Olympiacæ properans ad munera palmæ
Dat lora effuſis auriga iugalibus, atque
Pronus anhelantes & voce, & verbere crebro
Suſcitat, ingeminatque ictus, ſtimuliſque fatigat:
Nec mora, nec requies vrgendi, donec ad ipſam
Admoueat metam feſſos victoria currus.
Haud ſecus oppoſitos Aquilo violentus in ignes
Incubuit. Detrita per altos flamina montes,
Et pulſis nebulis, cæloque ſuperba retecto
Æſtibus inſultarit lentis, quæque hactenus altas
Agmina flammarum nubes, atque aſtra petebant,
In tranſuerſa ruunt, & adhuc intacta reflexo
Turbine corripiunt, & proxima quæque remotis
Continuant; ruit effuſis Vulcanus habenis
Perque fores victor, perque alta cacumina regnat,
Scintillæque, faceſque volant: furit æſtus in auras,
Auulſaſque trabes, atque inflammata domorum
Fruſtra ciens hyemem partes iaculatur in omnes
Ardentem, & volucri differt incendia flamma.
Tales ſi ſuperam ſpatijs propioribus oram
Accedes, ſtellas liquidum per inane videbis
(Quæ ſæpe occurrunt oculis ſpectacula noſtris)
Præcipites cælo labi, noctiſque per vmbram
Ætheris immenſos à tergo igneſcere tractus.
Bis denos fera tempeſtas nocteſque, dieſque
Sæuijt, & quidquid miſeri congeſſimus altæ

Pacis

Pacis in amplexu: diuturna induſtria quidquid,
Et parcus cumulauit opum per ſecula cultus,
Eripuit, tenueſque breui diflauit in auras.
Nec fuit indignum ſuperis bis noſtra videri
Excidia, infanda bis tela madentia cæde,
Graſſatamque per aduerſi dira omnia fati
Oſſibus, & cineri peſtem inſultare ſepulto.
Talibus his populi plagis miſereſcite fracti,
Auxilioque leuate inopes, opibuſque iuuate.
Sic faueant Votis cæleſtia numina veſtris
Siue amor eſt pia bella ſequi, Thracamque ferocem
Centenis habitata repoſcere gentibus arua
Curetum, placidamque Cypron, diteſq; Mycenas,
Et latè Ægæo rurſus dare iura profundo:
Haud vnquam Veneto felix victoria Marti
Deſit, & illuſtres præda, ſpolijſque triumphi.
Seu parta nuper populos in pace, quieto
Imperio regere, & manſuetæ Palladis artes
Exercere iuuat; nulli otia veſtra tumultus
Sollicitent, Tethyſque fauens, ventique ferentes
Semper agant veſtras pacata per æquora puppes:
Sit pietas, ſit cana fides, ſit maxima rerum
Iuſtitia, & iunctis gaudens concordia dextris
Euganeæ præſens Vrbis tutela, nec vnquam
Quæ ſibi condiderunt non ſeruent mœnia Diuæ.
Non noua inexpertæ quæſitum munera dextræ
Venimus, ad benè facta rudes; ſed grandibus olim
Affecti meritis, amplis & honoribus aucti.

Gens

Gens Venetæ ſeſe Raguſia Gentis alumnam
Iactat, & hac vitæ, libertatiſque magiſtra
Florentem vixiſſe diu, legumque ſeuero
Aſſueuiſſe iugo: veſtra illa exempla ſecuta
Diſtulit in cunctas latè commercia terras:
Docta ratem leuibus cælo duce credere ventis,
Et pulchro gaudere opibus ſudore paratis:
Docta ſuas ſceleri pœnas, ſua præmia laudi
Ad veſtri ſimulacra fori decernere, honorum
Alternare vices; certis plebiſque, patrumque
Ordinibus Ciues diſtinguere: denique totam
Ad veſtros ſeſe mores effinxit, & vltrò
Veſtræ habitu veſtis cultus mutauit auitos.
Quin etiam ſociam gremio excepiſtis amico
Noſtram Vrbem, & raro natæ decoraſtis honore.
Sic gaudent clari Lacedemone matre Tarenti
Mœnia: ſic antiqua Tyros Carthaginis altæ
Nobilis audiuit genitrix: Sic prole frequenti
Sicanios Ephyre tractus, ſic fortibus almæ
Ioniam latè populis auxiſtis Athenæ.
Non erimus merito indecores, nec parua ſequetur
Gloria ab interitu Ciues, & clade ſuprema
Seruaſſe, & diræ merſos rapuiſſe procellæ.
Quos aliæ haud tanto iunctæ ſibi pignore gentes
Fœderis humani communia vincla ſecutæ
Auxilijs fouere ſuis. Non Luca vetuſtæ
Libertatis honos, non armis clara, viriſque
Gens ligurum, non Roma potens, non fortis Iberus,
Non

Non quæ magnanimo regnatur Hetruria Coſmo
Auertit placidas noſtris à fletibus aures.
Nec vos officio quiſquam ceſſaſſe, animoque
Arguerit caſus noſtros ſpectaſſe remiſſo,
Intentos lento per Gnoſſia Regna duello,
Et dum nos agerent crudelia fata, coactos
Fortia threicijs opponere pectora telis,
Armatumque italis orientem auertere ab oris.
Tali faſce graues, tali ſub mole decoro
Puluere ſordentes vetuit ratioque, pudorque
Compellare manus, pulchroque abducere cœpto,
Et quamuis minimum tantis onus addere curis.
Nunc tandem Martis cecidit furor omnis, & alma
Pax redijt, ſolidæque ſuo ſtant robore vires,
Nec veſtra aſſueto tot cladibus arma timere
Vllus ab hoſte timor, quem dudũ ſi quid in illo eſt,
Cordis, ſi ſanæ quidquam ſub pectore mentis,
Pœnitet incæpti, magnoque optauerit emptum,
Nunquam naſſe ſuas Dictæa per æquora claſſes,
Nec niſi poſt quini demum diſpendia luſtri
Vnius haud ſolida tetræ ditione potitas;
Vinci etenim ſe poſſe videt, cui tempore tanto
Tanto opere, & tanto victoria ſanguine conſtat.
Hinc immota quies vobis: hinc otia læta
Securoſque beans felix induſtria ciues,
Et tanta aduerſum poſt Martem gloria, quantam
Rarò alius domito retulit bellator ab hoſte.
Sed non hæc Venetæ laus eſt, & gloria gentis

Vt

Vt ſibi ſit felix tantum: ſua commoda ſola
Reſpiciat, natamque ſibi ſe cogitet vni;
Sed ſua per cunctas benefacta extendere gentes
Gaudeat, Alcidæ ritu, collecta per omnes
Terrarum cui fama plagas, omneſque iuuare
Nata, viam ad patrium virtus muniuit Olympum.
Nec verò ad Lernam tanti fuit, aut Erimantho,
Aut illaudatis Libyci ſuper hoſpitis aris,
Exhauſtus labor, & laudes, palmæque ſecutæ;
Vt non communes multò ſit pulchrius hoſtes
Infandis lætos ſpolijs, & cædibus alto
Exegiſſe mari; cum virtus veſtra, fideſque eſt
Viſa ſonis omnes perfundere talibus actas.
Ite per Adriacos tuti me vindice fluctus,
Et ſolos nautæ ventos, cœlumque timete.
Scit manus Illyrici coluit, quæ ſtagna Narenti
Sæua Virum, iniuſto prædarum exercita quæſtu
Claſſibus à Veſtris alieno parcere, & intra
Natiuas iterum ſe claudere iuſſa paludes,
Et tenuem in duris ſibi quærere cotibus eſcam.

victoria de Piratis Narentinis.

Scit Tyros, & Syriæ tractus, & Agenoris arces,
Et Solyma depulſus Arabs, cum victor, & acto
Rege in vincla ferox mæſtam tremefecit Idumen.

victoria Naualis ad Tyrum

Scit vetus Auſoniæ Libycis in finibus hoſtis
Auſus Neptuno nuper ſe credere noſtro,
Et noua per gentes ſpolia affectare quietas,
Ionijque ſinus vetitos attingere fines.
Illum exoluentem vicina Ceraunia iuſtas

Claſſis Piratarum Africanorum ad valonã incenſa

Fœ-

Fœderis infracti pœnas videre, ſupremæ
Barbara queis perijt claſſis plaudentia flammæ.
Quis dignè celebret curas, quæ pectora veſtra
Accepto pridem veterum de more Parentum
Sollicitant, acuuntque manus, ne triſtis Enyo
Exitium, peſtemque ferens mortalibus ægris,
Vſquam auras adeat ſuperas, ſed mitis vbique
Pax hominum mentes æternaque gratia iungat?
Quod ſi olim ſtygijs Dea ſæua erupit ab antris,
Sanguineoque furens micuit per inane flagello,
Quis potior mulcere animos, belloque frementum
Principum amicitias moliri, & qualiter olim
Tela inter, cædeſque Virum, cædeſque parentum
Fama eſt præcinctas olea inceſſiſſe ſabinas,
Diſtractos odijs in priſtina fœdera Reges
Iungere, mox clauſi vigilare ad limina Iani,
Ne qua repens iterum poſitas vis ſuſcitet iras?
Quis libertatis Dux actior? vnde feracis
Italiæ gens fortis habet, Cœlumque latinum
Externi quod non penitus fert ſigna pudenda
Seruitij, totaque iugum ceruice ſubiuit,
Et ſeri claras audent iactare Nepotes
Maiorum laudes, nec fama antiqua rubori eſt.
His animis, his exemplis, hoc robore freti
Virtutis ſua dona plagas diffundere in omnes,
Atque omni aſſuetæ paſſim de gente mereri
Quæ non ſperamus miſeri ſolatia Ciues,
Caſibus exhauſti cunctis: rerum omnium egeni:

In

In proprijs errans infelix turba ſepulcris?
Quemue expectemus mortalem alium præſenti
Cladibus auxilio noſtris, lacrimiſque futurum?
Quod vos maiorum cineres per, & oſſa parentum:
Per ſpem venturæ ſtirpis, famamque nepotum:
Perq; Deum, ſuperoſq; omnes, & quidquid vbiq; eſt,
Quod mortalia pectora habent ſanctumq; piumque
Oramus, fœdæ cumulos extare ruinæ,
Deformeſque cicatrices, & ſigna dolorum,
Quos tulimus: quibus afflicti, ſtratique iacemus,
Quantum opis in vobis, quā lata potentia veſtra eſt,
Ne ſinite, & longos miſerorum abſtergite fletus.

FINIS.

VENETIIS, M.DC.LXXV.

Typis Io: Franciſci Valuaſenſis.
Superiorum permiſſu.

Z
1057.23
99 958371

Mei